ineptus chartas. Sperem in alieno negotio apud
praestantissimum Consulem aliquid ponderis habiturum.
Attamen utriusque virtutis, quae in utroque vestrum est
consideratio hunc utrumque mihi scrupulum exemit.
Nimirum modestia tum in Gaspare tanta est, ut di-
ligenter dispiciatur si quid deceat, tum in D. Consule
sic eadem mihi perspecta est, ut non dubitem ma-
jora etiam mihi de tua in me pietatis benevolen-
tia polliceri. Cum et hoc certe nomine gaudeo, me
ut scriberem à Gaspare cordatissimo viro im-
pulsum fuisse, quod hinc mihi data occasio est qua-
quomodo declarandi me etiam nunc grati animi
memoria prosequi ea hospitalitatis tuae officia, qui-
bus me primum Bremam appulsum humanissime
complexus fovere non destitisti, donec alio vocatus
meâ voluntate sarcinas collegi, pro qua summa hu-
manitate ut referre gratiam nequeo, ita me decet
praedicare eam apud alios, et ad eandem ipsa aten-
dum modestè incitare illos, quos quoties rude in-
telligam favore tuo dignos esse. Certè si quid vestra
aequitas filio Gasparis benefecerit, vel mea vel
ipsius potius praestantissimi patris causa magnus
cumulus tuis in me meritis et meae erga te ob-
servantiae accedet. Vale. Duisburgi Cal. Martij
1562.

T. D. addictus
Johannes Molang.

D. Conrado Kenckelio 36.)
Sen. nobis Bremae

Pax Christi.

Honorande vir, Conrade Kenckel. Ita ut jusseras [= Mser. a. 4:
filium vobis remitto, invitus quidem; restabat enim Nr. 114]
unius anni labor ad scholae cursum perficiendum,
et est adhuc tenera ejus aetas, et mihi valde in votis
erat non prius eum vobis reddere, quam puerilis do-
ctrinae cursus absolutum esset. Dispendium aliquod com-
migratio attulit, sed id facile sarciri poterat, et quotidiè

sarciebatur. Tum autem cura scholae publicae vide-
tur privatam diligentiam diminuisse; sed quod
domesticis lectionibus detractum erat, id tum
lectionibus scholasticis, tum exercitiis copiose
pensabatur. Sed nolo hanc disputationem ingre-
di latius, ne actum agam, quod proverbio prohi-
betur. Tantum rogo pro mea erga eum fide et
meum laborem tantisper in bonum partem ac-
cipias, donec res ipsa testetur omnia me boni et
fidelis Magistri officia, mediocriter (ut capax
erat puerilis ingenii) prosequutum esse, quam
rem sine meis responsis et epistolis, et moribus
puer ipse (ut opinor) ostendet. Deus qui filium
tuum tam longe a parentibus disjunctum incolu-
mem vobis servavit, benedicat puero, et studia e-
jus ad suam ipsius gloriam dirigat. Amen. Vale. Duis-
burgi 20. Martij 1562.

37.)

Magistro Johanni Poltermanno
Caesaris consiliario Namurci.

[= Mscr. A. 7: Nr. 115]

Ex animo ingratus videar, si tuorum in me beneficiorum
immemor conticescam, neque omnem occasionem
captem efficiendi, ut intelligas me nihil minus esse
quam ingratum. Itaque saepe anxie quaesivi, qua in-
veniri ratio posset dandi aliquid literarum ad te,
vir clarissime, qui mihi olim puer arctissimo
vinculo pietatis conjunctus fuisti. Meministin'
ubi est ardor ille, qui meum cor, qui tuum, qui
Gualteri, qui Bassiani et quorundam aliorum
sodalium suavissime accenderit. Non flamma
aliqua opinionum novarum, sed vero zelo amo-
ris erga Jesum Christum, ad quam certe viam
ostendam tu nobis dux et hortator extitisti
pro quo summo beneficio me tibi prorsus ob-
strictum sentio, nec quenquam habeo in hac vi-
ta mortali, cui plus debeam. Ut proinde do-
leo et graviter fero sic disjunctum me semper
à tua consue-